

Ann. III.

Num. XXII.

# VOX URBIS

## DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

### Subnotatio fieri potest:

#### IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.  
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

#### IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES  
LONDON W. — 28, Orchard Street.

#### IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.

Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND.

NEW YORK, 143 W 95th St.

#### IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND  
NEW YORK (U. S. Americ.), 143 W 95th St.

#### IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.  
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

#### LUGDUM

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.  
Rue Victor Hugo, 5

#### IN GALLIA

LUTETIAE PARISIORUM  
LIBRAIRIE VIC ET AMAT  
CHARLES AMAT SUCC.

Rue Cassette, II.

#### IXSULIS (LILLE)

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.  
Rue de Metz, 41.

#### IN HUNGARIA

Apud C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE  
BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

### RERUM INDEX

COMMENTARI "VOX URBIS" SOCIIS ET LECTORIBUS IN ANNUM MCMI ...	<i>Vox Urbis.</i>
DE PUPERITA ET ADOLESCENTIA INSTITUENDIS .... .... .... ....	Senior.
DE Q. HORATII FLACCI ODE XIV, LIB. I . .... .... .... ....	M. Belli.
ARCHAEOLOGICAE RES - Phoenico-punica necropolis Gadibus effossa ..	L. P. Microvir.
EX GALLIA - De omnium rerum Expositione Parisiensi . .... ....	A. Vieillot.
CADAVERUM CORRUPTORES .. .... .... .... .... ....	R. Spina.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATITUDE .... .... .... .... ....	P. Angelini.
CUINAM URBIS INCENDIUM TRIBUENDUM QUOD NERONIANUM DICITUR ....	G. P.
COMMUNIA VITAE - Vinea, vindemiae, et quae propter .. .... ....	H. D. V. Pieralice.
ANNALES .... .... .... .... .... ....	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS .... .... ....	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO ... .... .... .... .... ....	I. F.
AENIGMATA .... .... .... .... .... ....	F. Palata.

*In tertia operculi pagina:*

PER ORBEM .... .... .... .... .... .... .... .... .... ....	Viator.
VARIA: Metallica e zinco parietum stromata - Hospitium canum - loci	P. d. V.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.	

ROMA E

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC

PROSPECTUS  
SUBNOTATIONIS  
**Commentarii Vox Urbis**  
ANNO MCMI

Pretium annuae subnotationis est: in Italia Lib. **10**;  
ubique extra Italiam Lib. **15**; M. **12**; Sch. **12**; Doll. **3**; Rubl. **6**; Flor. **7  $\frac{1}{2}$**   
recto tramite mittendum  
ad **Aristidem Leonori** equitem, commentarii ipsius possessorem et administratorem  
**ROMA - Via Alessandrina, 87**

**PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA**

**I.** - Qui nomen commentario dederit pretiumque subnotationis  
sive diribitoria chartula, sive credita et commendata epistola recto  
tramite miserit uti supra, pridie kalendas Octobres an. M CMI  
**praemium sortietur, quod ad provehenda studia dicitur.**  
Idem tot aureis nummis constabit, quot

**Summam Mille Libellarum**  
(**1000 francs**)

aequent.

**II.** - Qui e sociis chartulam, quam ad hoc accipiet, remiserit  
suo ac duorum e sociis novis subscriptam nominibus, pro duobus  
tantummodo commentariis solvet pretium; tertium dono habebit;  
atque tamen tria nomina in urna ad praemium consequendum  
versabuntur.

**III.** - Qui cito subnotationis pretium mittet, a die creditae  
diribitorio pecuniae numeros commentarii accipiet usque ad exple-  
tum annum MCMI.

**S**UFREMO  
plura  
vos, o  
et gloria nomi  
nostrum, comm  
enim, studio, p  
pueritiam suam  
ut adeudos vi  
robore polliceat  
vobis et agimus  
tententes, si quid p  
operae vestrae

Iamque, vo  
per optimarum  
ita commentarii  
nulla disciplina,  
sit praetermissa  
emporium, rec  
Urbis apud plu  
fama, quae lau  
termisimus ut s  
divitias ingenio  
ad nostras conf  
cumulus honoris  
naturalium rer  
aliquid gravius  
riae disciplinis  
temporibus no  
videantur. Ecq  
in quaestiones  
scitis quam fel  
apud omnes  
dissimilibus in  
simos in opus  
enim ex ultim  
e Russis, e G  
ex Italies. Atq  
aemulatione n  
faciendo est,  
omnia vero  
amplificatione  
quenda re qua  
stas!, quanta  
verborum splen  
quantus in dice

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 15. M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## COMMENTARI "VOX URBIS,, SOCIIS ET LECTORIBUS IN ANNUM M CMI

**S**UFREMOS qui sibi menses annus attigit, plura fert absolvenda nobis officia erga vos, o socii et lectores, qui auctoritate et gloria nominis vestri animum confirmastis nostrum, commentarium hunc decorastis. Cura enim, studio, plausu, labore vestro hic, veluti pueritiam suam praetergressus, brevi ita adolevit, ut adeudos virilitatis annos et spe crescentes et robore pollicetur. Pro quo incremento gratias vobis et agimus et agemus maximas, aperte fantes, si quid profecerimus, id epistolis, consiliis, operae vestrae plurimum deberi.

Iamque, vobis cooperantibus, amplissimos per optimarum artium omnisque scientiae campos ita commentarius hic abit ac spatiatur, ut fere nulla disciplina, nullum doctrinae genus in hoc sit praetermissum, et veluti studiorum omnium emporium, rectius dicam, quasi viridarium *Vox Urbis* apud plurimos habeatur. Quae quidem fama, quae laus ne a nobis excideret, nihil praetermisimus ut scriptores undique essent nobis, qui divitias ingeniorum, et adinventionum suarum ad nostras conferrent paginas, et maximus hisce cumulus honoris accederet. Quapropter non modo naturalium rerum ordo erit, ut saepe nunc, sed aliquid gravius insuper e philosophiae et historiae disciplinis addetur, ex iis praesertim, quae temporibus nostris aut opportuna, aut necessaria videantur. Ecquid erit autem, si plures ex vobis in quaestiones proponendas incumbant? Probe scitis quam feliciter actum sit de recta eademque apud omnes pronuntiatione latina. Vidistis e dissimilibus inter se Europae regionibus doctissimos in opus grande viros assurgere; fuerunt enim ex ultima Caledonia, fuerunt ex Polonis, e Russis, e Gallis, ex Hispanis, ex Hungaris, ex Italib. Atque hi omnes pacifico studio, et aemulatione nulla, praeter eam, quae in recte faciendo est, nihil propriae laudi quaerere, omnia vero convectare ad fundamentum, et amplificationem latinitatis. In ea autem persequa re quanta in singulis dignitas et honestas!, quanta fides!, quanta sapientia!, quantus verborum splendor!, quae argumentorum copia!, quantus in dicendo ornatus!, quanta in suadendo

humanitas!, quanta in integra rei tractatione dignitas et maiestas! Haec plures ex vobis, qui tunc quasi in speculis erant, observantes, quemadmodum unusquisque se gereret postea iudicaturi, et sententiam gravissimam non de retantummodo, sed etiam de disceptantibus laturi, haec, inquam, plures ex vobis, tunc quasi e condicto scribentes, videri sibi dicebant aliquid iam a saeculis insuetum animadvertere, modestam sapientiam cum egregia virtute coniunctam. Quid mirum igitur, si quaestio finis omnium expectationem superaverit?

Hoc autem cum experti simus tanta cum laude vestra, tantaque cum gloria commentarii nostri, recte speramus aliquid simile constitui posthac a vobis posse, quo, veniente anno, ingenia vestra pariter exerceantur, legentium vestra mentes pari admiratione percellantur.

At quenam sunt blanditiae latini sermonis, quae tam diversos allegerint, rapuerint, atque ad unum deduxerint? Fatemur in hoc esse arcam quoddam, super genibus positum summi Iovis.

Quoniam vero grata et iucunda fuere vobis, quae *communia vitae* tradunt, atque in iis plerumque nobis fuere laudes, tum in congerendis et quasi effodiendis vocibus, quae in usu quotidiano esse possunt, tum in cudentis novis, quas nova tempora in usum quotidianum inferenda volunt, nos etiam curabimus, ut quod bene susceptum est semel iter, id in futurum teratur.

Dolemus autem duos e scriptoribus nostris defuisse viros clarissimos: utrumque mors astulit immeritos mori; adeo bene de litteris et bonis artibus et meriti erant, et merebantur! Horum primus et laudatissimus MAURUS RICCI, obsitus aeo quidem, sed indole, mente virens et iuvenescens semper ingenio. A quo morituro nonnulla in commentarii nostri usum accepimus e thesauris doctrinae suae, quae nos edimus, atque, ubi tempus erit, edemus in hoc ipso commentario. Alter est Mediolanensis EUGENIUS DI BISOGNO, in ipso iuventae flore

quem non virtutis egentem  
Abstulit atra dies, et funere mersit acero.

Sit honor functis vita; sit laus pro egregie factis; memoria eorum nec a recordatione nostra, neque his e paginis excidet!

Nunc ad ea, quae spondemus, et futuro in anno praestabimus, praeter illa quae enucleavimus hactenus, praemia sociis constituimus. Haec autem huiusmodi sunt:

I. Qui nomen commentario nostro dederit premiumque subnotationis sive diribitoria chartula, sive credita et commendata epistola recto tramite miserit ad ARISTIDEM LEONORI equitem, "Vox Urbis" possessorem et administratorem, Romam via (Alessandrina n. 87), praemium sortictur, quod ad provehenda studia dicitur.

Praemium tot constabit auris nummis, quot summan *mille libellarum* (francs) aequent.

Hac pecunia fructur ille, quem sors delegerit; si studiis operam navel, ut suum cursum perficiat alacrius; sin minus, dabit cui voluerit, critique ipse sibi suae rei et moderator et arbiter.

Praemii autem huius versabitur urna in ipsa commentarii sede pridie calendas Octobres, anno MCMI, adstantibus viris amplissimis, doctoribus, sociisque in Urbe degentibus, quorum nomina in commentario, una cum sortitionis ritu, describentur pridie calendas Septembres.

II. Qui e sociis chartulam, quam ad hoc accipiet, remiserit suo ac duorum e sociis novis subscriptam nominibus, pro duabus tantummodo commentariis solvet premium; tertium dono habebit; atque tamen tria nomina ad praemium consequendum in urna versabuntur.

III. Qui cito subnotationis pretium mittet, a die creditae diribitorio pecuniae numeros commentarii accipiet usque ad expletum annum MCMI.

Quae pollicemur, fide magna more nostro praestabimus.

Socii ac lectores, nobis constanter faventes, etiam atque etiam valete, meliora et iucundiora visuri!

Vox Urbis.

## DE PUPERITIA ET ADOLESCENTIA INSTITUENDIS

**I**LLUSTREM virum Dupanloup, Aurelianensem episcopum, ecquis ignorat, cuius nomen et laudes omnium populorum ora compleverunt? Nunc, quasi e sepulcro assurgens, in quo dilectus Deo et hominibus requiescit, eloquentiae et sapientiae suae vocem rursus effundit; nam diarium eius intimum praelo vulgatur (1). Ibi enim eruditus vir plura, de die in diem, notare solebat ex iis quae contingenter, quaeve digna notatu viderentur. Multa acute, multa curiose, multa docte, sapienter multa scripta reperiuntur.

Verum hisce paginis patet quanto iure illi trüberentur praeconia tamquam educatori iuventutis egregio, cui ad plenum erat triplex illud quod institutioni impertienda par est, nempe et bene sentire, et bene curare, et bene moderari. Quae omnia paucis ipse verbis complectebatur huiusmodi: « Constituendi sunt pueri et boni et felices ».

Atque ad bonitatem quod attinet, ipso fatente, non durum iter; siquidem omnes natura suapte boni sunt pueri, et (raras praeter indeles nativa quadam malignitate perversas, vix decem in decem millibus enumerandas) rectum, verum, bonumque naturaliter appetunt, dilectionem dilectione rependunt, atque a vetitis abhorrent, non tam formidine poenae, quam ne eos afficiant moerore, quos amabiliter praeesse sibi sciunt. Poenae timor tantummodo impedit quominus mala fiant; dilectio erga praesides impedit quominus, ne cogitatione quidem, mala praesumantur. Quamobrem, ubi magister, ubi praefectus, ubi rector, ubi praeses in pravum puerum inciderit, ne dubitet; unicum enim hoc superest: schola, domo, collegio deficiat, arceat, domesticisque eius reddat quam citissime pestiferum, ne morbo illius, qui boni sunt, reliqui contabescant.

Illud autem caveatur in primis, ut adolescentuli hac persuasione imbuantur, non ad punitionem, non ad poenam, non ad coercionem, quasi carceres quodam temporaneos, quasi vincula nexusque quotidiana esse collegia, scholas, disciplinas, et studia adinventa, et constituta, sed honoris, sed utilitatis causa, sed pueris quasi praemia recte factorum. Proinde quotquot ibi sunt, quotquot adsciscuntur, totidem in honore habendi apud omnes, qui norint illic nihil turpe, nihil pravum, nihil inquinatum aut retinendum, aut ferendum, aut admittendum.

Conscientia haec propriae dignitatis in pueri quasi propugnaculum fiet et quasi antemurale virtutis.

Alterum institutionis caput constituitur in illo cumulatu, quibus adolescentuli sua sorte beatissint; nec subeat tristitia, nec moeror irreat in annos, quos natura laetos pueris et adolescentulis esse voluit, ut crescant animo et corpore validi, atque potentes. Hinc metus omnis, hinc terror omnis abesto, quorum locum teneant obsequium, reverentia, pietas. Qui enim terrore tenent imperium, eos odimus, ac detestamur, et quam in iis auctoritatem pueri odissemus, postea viri calcamus,

*Nam cupide conculcatur nimis ante metutum;*

Ennius olim scribebat; nec, uti Nepotis sententia fert, ullum est tutum imperium, nisi populorum benevolentia munitum sit.

Qua de re ipsi inter se primum et magistri et rectores et praesides unum sentiant, et mutuo vinciantur affectu; hac autem concordia, virtute parta, consilio summo retenta, pueri discent eos magni habere, quos sibi cognoverint sedulos et pios, optime

(1) *Journal intime de Sa Grandeur Mgr Dupanloup, évêque d'Orléans.*

in sapientia et moribus consentientes. Absit ergo inter eos invidia, aemulatio, absit odium, absit calumnia, omne verbum absit, quod in pueris, in audentibus excitet suspicionem odii, aut iniqui iudicij; id autem fiet, si magistri singuli veritati et iustitiae et sapientiae pareant, non arbitrio, non praejudicio, non ignorantiae. Sit itaque haec magistrorum praefectorumque societas, quasi domestica societas, tranquilla, salubris; et physica et moralis epheborum laetitia, qua corpore et animis valeant, hisce fundamentis innitatur, hisce crescat, hisce amplificetur.

At numquid a studiis, a disciplinis, ab educatione omnis abest labor? Inest, nec parvus; at si in magistro, si in praeside pietas, valde minuitur. Hinc moderatio in omnibus; nec quotidiano onere nimium defatigandi pueri, nec ita in scholis constituendi quasi totidem statuae. Quae explicanda sunt, facili tradantur eloquio, adsint in eloquio lepores, adsint ioci, quibus recreantur animi, quorum pueri memores pracepta, quae cum iis tradita fuere, tenebunt. Memoria teneat magister scholas olim appellatas fuisse « ludos »; plura enim discit puer ludi flore credita, quam arida Minerva impertita. Sit schola non quasi Procustis lectulus, sed quasi viridarium, in quo liber inambulet quisque; ipsa pracepta latitudinem habeant suam, in qua adolescentulus liber sit, et moveatur pro luto iuxta indolem, idque praesertim in iis, quae ad interpretationem et translationem sunt de uno idiomate in aliud. Sic sibi stilum, sic respondentem animo suo sermonem quisque parabit.

Talibus rite servatis, quot erunt discipuli, totidem liberorum more magistros amabunt, ad eos affluent, ubi videbunt, nec procedentibus annis erga eos, quos veluti parentes et amicos noverunt, benevolentiam deponent. Visne de magistro iudicare? Considera quid de eo discipuli sentiant, quid agant, non in scholis - ibi enim metus adigit ad ea quae non velint - sed in viis, in plateis, ubi liberi sunt. Si videris liberter a magistro recedere, ne colloquantur, effugere; conclamat in hominem est. Sin autem accedere videris, collaetari, colloqui, manum quaerere, et, nisi dimisso, ultro sequi, dic in illo homine omnes esse numeros ad erudiendum atque educandum. Qua de causa haec? Quia ille spinis ac tribulis constravit scholam, hic floribus ornavit.

Haec vir egregius, quinquaginta abhinc annis, docebat; haec non praecipiebat modo, sed patrabat. Et nunc adolescentulorum institutio, quamvis non penitus, magna saltem parte hisce praceptis ambitur: « Instituantur ephebi, ut boni sint ac felices ». Neque tamen nos dum ista reddimus extrema usurpamus. Qui parcit virgae odit filium; sacrum effatum est; neque sacrum minus illud: « Nolite provocare filios vestros ad iracundiam ». Utrumque prae oculis, qui docent, qui educant, habeant.

*Inter utrumque tene; medius tulissimus ibis.*

Ceterum ille ex magistris atque educatoribus maiores referet honoris fructus in discipulis, qui a discipulis suis magis amabitur.

SENIOR.

## DE Q. HORATII FLACCI ODE XIV, LIB. I.

**D**E ode xiv, lib. I, Q. Horatii Flacci, quae communiter inscribitur *Ad rempublicam bellum civile reparantem*, breviter disserentes, in primis animadvertisimus nobis non esse in animo commentarium in lucem edere, quod singulas litteratorum hominum ad rem sententias veluti in epitomen cogat. Horatianum hoc carmen adeo in vulgus pervagatum est,

ut vix qui latinas litteras leviter attigerint, eius cognitione careant. Igitur nostrum erit per pauca tantummodo delibare, quae ab interpretibus, in Horatianō carmine enucleando, vel prorsus omissa, vel non ita perspicue sunt explanata, ut legentium animis omnem dubitationem eximant.

Quodnam carminis argumentum? Allegoricum est: navis tempestatis quassa rempublicam bellis civilibus (31 a. Ch. n.) enervatam significat, cui in portu, id est in pace et tranquillitate, stat unica salus. Ita fere omnes interpretes. Attamen, inter recentiores, non desunt qui, rerum novarum cupidi, Horatium continua verborum translatione usum fuisse negent, navemque, qua ipse post Philippensem cladem in Italianam advectus sit, sensu proprio accipientem esse arbitrentur.

Levis haec interpretatio, cum orationis contextui omnino repugnet, eique romuleam vim plane adimat, suo se gladio iugularet, si caustum esset, ne coecus novitatis amor mobilium adulescentium turbam in opinionum commenta faceret pronam; quare operae pretium ducimus aliquo potissimum argumento uti, quo magis res pro comperto sit.

Habemus enim M. F. Quintilianum auctorem (1), qui Horatiani carminis allegoriam hisce expresse indicat verbis: « Ille Horatii locus quo navem pro republica, fluctus et tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit ». Nec silentio praetereundum putamus Dionem Cassium, qui (2) Moecenatem inducit rempublicam cum oneraria navi, eaque rimarum plena, innumera hominum multitidine stipata, comparantem, quae, amissore rectori, Austris ludibrium, huc illuc tumido aequore fertur; cui, ni Octavianus adsit, fatum immineat exitiale. Quid plura? Videsne ut poeta, suo ipsius testimonio, sententiam luculententer confirmet?

*Nuper sollicitum quae mibi taedium,  
Nunc desiderium curaque non levis,  
Interfusa nitentes  
Vites aequora Cycladas (3).*

Num haec ad verbum intelligenda sunt? Praeterea et alii loci, quos ex *Epist. II, 2* et ex *Epod. XVI* de promes, in idem conspirant. Sic, exempli gratia, poeta suam adversam fortunam, ob tristes belli civilis eventus, conqueritur:

*.... simul primum me dimisere Philippi,  
Decisis humilem pennis inopemque paterni  
Et laris et fundi paupertas impulit audax,  
Ut versus facerem.... (4).*

Iram deorum in caput « aetatis devoti sanguinis » detestatur:

*Impia perdemus devoti sanguinis aetas,  
Ferisque rursus occupabitur solum (5).*

Instantium malorum « sollicitum taedium » eum acriter urget; quamobrem, ut animum curis anxiis levet, in « Fortunatis insulis » perpetua pace frui vehementissime concupiscit:

*Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata  
Pelamus arva, divites et insulas,  
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis  
Et impotata floret usque vinea;  
Geminat et nunquam fallentis termes olvae,  
Suamque pulla ficus ornat arborem;  
Mella cavâ manant ex ilice; montibus altis  
Levis crepante lymphâ desilit pede, etc. (6).*

Quae cum ita sint, quaenam causa est cur de allegoria dubitemus?

(1) *Inst. orat. VIII, 6, 44.* (2) *Lib. 52, 2.* (3) *Vv. 17-20.*  
(4) *Epist. II, 2, vv. 49-52.* (5) *Epod. XVI, vv. 9-10.* (6) *Epod.*  
*ibid. vv. 41 et seqq.*

Nu  
hoc co  
mutuat  
Ap  
nibus, i  
sertim  
conscript  
confecis  
benigni  
nisse, q  
psit: «  
simus;  
genio r  
brevitat  
magnific  
dem gra  
prae oc  
ctis tam  
nemine s  
paret Ho  
versatur  
ob victo  
discordia  
enim ron  
non aliun  
expressit

Carm  
mento (2)  
riae pro  
Horatii e  
Myrsili c  
ctibus agi  
lintea, eg  
miramur  
usui cura  
rum iactu

Xst  
neg  
Quamqua  
Alcae i  
deratur, E  
tum dedi  
sapit, no  
locos in  
rum verbo  
ut eviden  
pro verbo  
non intell  
unda; no  
magna te  
(ἀνθελος) p  
minet; v  
magnae i

(1) In  
§ 2, pag. 7  
gantissime

Nunc alteram ponimus quaestionem: In carmine hoc componendo, Horatius aliquidne ex Graecis mutuatus est?

Apud omnes constat Horatium, in lyricis carminibus, multa ex Sappho, Simonide et Alcaeо prae-  
sertim (metro alcaico septem et triginta carmina conscripsit) hausisse, ita ut aliquibus « museum opus consecisse » ipse visus sit. Praestat tamen, ne quis benignior poetae obtrectatoribus indulget, ea memini-  
sse, quae Thomas Vallaurius (1) opportune scri-  
psit: « Quamquam enim Graecorum fuit studiosissi-  
mus; ex patriis tamen moribus atque ex suo in-  
genio romuleam plane vim, et splendidam hausit  
brevitatem, qua in gravioribus argumentis Pindari magnificientiam feliciter compensavit. Et multi qui-  
dem graeci scriptores nunc desiderantur, quos ille  
prae oculis habuit; sed in celebrandis domesticis fac-  
tis tam propriis coloribus usus est, ut ab eorum  
nemine sumi potuerint. Et revera omnino suus ap-  
paret Horatius quotiescumque in patriis argumentis versatur; veluti quum Augustum et Drusum celebrat ob victorias de hostibus relatas; vel quum in civiles discordias, aut in sui saeculi luxum invehitur. Tunc enim romana virtus in eius carminibus elucet, quam non aliunde, quam ex divinore sua natura feliciter expressit ».

Carmen tamen de quo hic agitur ex Alcaeи fragmento (2), quod Heraclides Ponticus nostrae memoriae prodidit, scilicet e graeco fonte ductum est. Horatii exemplo, Alceus civitatem suam tyrannica Myrsili crudelitate importune vexatam cum navi fluctibus agitata, cui malus est sauci, nec sunt integra linteа, egregie comparat. En verba Alcaeи ipsa, quae miramur quod, in Horatianis editionibus tironum usui curandis, a doctoribus, non sine parva littera-  
rum iactura, crebro praetermittantur:

Ασυνέτημι τῶν ἀνέμων στάσιν.  
τὸ μὲν γάρ ξύθεν κῆμα κυλίνδεται  
τὸ δ' ἔνθεν ἄμπες θ' ἀν τὸ μέσσον  
νᾶν φορήμεθα σὺν μελαίνῃ,  
χείμωνι μοχθεῦντες μεγάλῳ μάλᾳ.  
περ μὲν γάρ ἄντλος ιστοπέδαν ἔχει,  
λαῖφος δὲ πάν τον ζάθηλον ἥδη  
καὶ λάκιδες μεγάλαι κατ' ἄντο.  
χόλαισι δ' ἄγκυραι . . . . .

Quamquam vero Lucianus Müller contendit aliud Alcaeи carmen, quod modo iniuria temporum desideratur, Horatio fata reipublicae querenti argumentum dedisse, cuius sententiae, quia nimiam novitatem sapit, non facile adhaerebimus; tamen, si poetarum locos inter se utrinque comparaveris, eundem rerum verborumque ordinem manifeste agnosces. Quod ut evidenter constet, Alcaeи locum, latino sermone, pro verbo interpretabimur: « Ventorum condicionem non intelligo: nam, modo hinc, modo illinc volvitur unda; nos autem cum nigra navi in altum ferimur, magna tempestate valde vexati: nam unda *turgida* (ἄντλος) pedem mali (ιστοπέδαν ab ιστοπέδης) supere-  
minet; vela autem cuncta iam scissa et scissurae magnae in ipsis; cedunt anchorae... » (3).

(1) In sua *Historia critica litterarum latinarum*, cap. VII, § 2, pag. 76, Aug. Taur. 1888. (2) BERGK, 18. (3) Ele-  
gantissime G. MAZZONI italicice:

I venti ignoro dove si volgano;  
Chè questo flutto qua si precipita  
E là quell'altro. Con la negra  
Nave pe 'l mezzo noi siam sbattuti  
Soffrendo atrocí cose dal turbine.  
Già l'onda il piede copre de l'albero,  
E giù le vele lacerate  
Pendon da l'albero in brani enormi,  
Son rilassate l'ancore.

Sed ad propositum nostrum non attinet miras Horatiani carminis virtutes aperire; litterarum lati-  
narum amantissimus quisque, ex diligenter locorum comparatione, cito perspiciet Nostrum, etsi in Alcaeи vestigiis defixum, naturali et venustiori stilo, ut in tabula, domestica facta, verissimis coloribus, pinxit.

Restat demum ut versum 10, de quo interpres ambigunt, explanemus:

*Non dī, quos iterum pressa voces mālo.*

Alli ad deos tutelares, Castorem et Pollucem, seu quemvis deum, quod navis esset insigne, id referunt; alii, duce Orellio, sic interpretantur: « Nec amplius dii tibi (navi) favent, quos iterum pressa mālo voces ». Quarum interpretationum prior nobis potior videatur, tum quia Graecis et Latinis solempne esset deorum simulacra in navium puppi (1), ubi sacrarium habebant, collocare, ad quos in periculis nautae vota nuncuparent, tum quia ex ipsa rei natura, credere par est tutelares deos, ut malum, antemnas, linteа et funes, ventorum impetu ablatos. Quae opinio, qualiscumque est, nostrorum temporum exemplis valide roboratur. Sane et nunc apud nautas usitatis consuetudo est pingendi in navium pupibus caelicolūm imagines, puta B. M. Virginis, sancti Nicolai ep. et sancti Antonii Patavini, quibus depre-  
cabitibus, tempestatum pericula arceantur.

Posteriorem autem interpretationem, quam, e converso, Orellius « rei maxime accommodatam ac poeta lyrico dignam » vocat, nos quidem refellendam censemus. Enimvero, quid rei accommodatius ac poeta lyrico dignius, quam quod, ut res postulat, navis adversae tempestati obluctantis narrationem perfectam ad unguem reddat?

Haec quae exposuimus, profecto, neque nova, neque magni momenti sunt. Candide lector, ne ingenii nostri imbecillitate tempus trivisse videamur, huic perexiguo labore finem imponentes, id unum saltem te monitum volumus: ut, nocturna diurnaque manu Horatii carmina verses. « Hunc poetam », Ioannis Bondii verbis utemur, « D. Augustinus in primis legendum esse iubet: quippe qui non modo iustitiam, invictam animi magnitudinem, parsimoniam, continentiam, religionem in Deum, pietatem in parentes, patientiam paupertatis, et contemptionem rerum humanarum summis laudibus prosequatur; sed contra, perfidiam, iniustitiam, metum, prodigalitatem, libidinem, luxuriam, avaritiam, atque omnia fere vitia acerbe carpat, vituperet, exagit ». Neque enim tam utilia monumenta vitae repetes ex fucatis fabulis, quae, a pulcri sensu abhorrentes, menti caliginem obducunt bonosque mores depravant.

Scrib. in Portu Romatino, mense Oct. MCM.

MARCUS BELLI.

## ARCHAEOLOGICAE RES

### Phoenico-punica necropolis Gadibus effossa.

Sia Strabone ad Avienum usque, nec Horatio, nec Martialis, nec ipso Livio omissis, Gades a scriptoribus tam graecis quam latinis saepius laudantur; si ille idem Strabo τὰ Γάδεσσα describes, cum celeberrimo apud omnes gentes Herculis templo, et si phoenicen inclytae civitatis originem ipse Avienus testatur cum ait: « Nam Gades, Punicorum lingua, conceptum locum vocant », huius originis nulla quidem ad nostros usque dies manserant monumenta, cum de hac urbe non secus ac de Carthagine dici-

(1) Cfr. VERG. Aen. X, v. 171 et PERS. Sat. VI, v. 30.

posset: « Etiam periere ruinae ». Nihil enim aliud docti adferabant quam nummos aliquot, punicis verbis inscriptos, neque iis semper explanatis. Inde academicorum irae, atque ita ut Hübner in *Corpo Inscriptionum Latinarum*, cum de Gadibus olim disseveret, scriperit vere magis quam leniter: « Punicorum monumentorum nulla, quidquid obloquantur antiquarii Gaditani ». Hodie, res longe se aliter habent, cum Gallorum Ἐπιπρόξενος in Baeticam publice missus, necropolim certe phoenico-punicam, paucis abhinc annis, se praesente ac recognoscente, vulgaverit.

Paulo ante quam Baeticam adiret Gallus noster, tumuli adparuerant tres, in suburbano, alto sub terrarum strato iacentes, nec incuriose confecti e calcareo lapide; quippe per tot et tam longa saecula mansisset immoti, ut ipsi anguli nihil adulterati, geometricis lineis starent, haud aliter ac quo tempore sepulcra fuerunt aedificata reconditaque, hypogea nempe cum essent. In quibus ossa, nihil mirum, inventa aeneis commixta fragmentis. Repertus et annulus aureus, cum gemma eleganter incisa, in qua videre erat mulieris effigiem, asiatico more libantem. In horum tumulorum uno includebatur sarcophagus se-  
quipedalis ex albo marmore, cuius ea est forma, quam antiquitatis studiosi graeco vocabulo ἀνθρωποειδῆ nominarunt, cum humani corporis sindone involuti speciem represeant. Atqui, licet summatim inspi-  
ciatur, clare appetat monumentum ipsum phoenicum esse, illoque « canone » confectum quo ea quae in ipsa Phoenicia, vel in coloniis Tyro-sidonis effossa sunt, scilicet Cypro, Sicilia, Melita, Sardinia in insulis. Baeticae autem solum hucusque nihil restituerat; immo, idque mirum, loculus iam translatus in mu-  
seo fuerat, et a pluribus inspectus, sed errore singuli Celtiberis attributus!

Non levioris momenti habendam credo recentiore detectionem multiplicium loculorum, in eodem subur-  
bano, eiusdem formae, mensurae ac substantiae. Quae nova hypogea, ad numerum hodie plus minus LX, phoenicia quis dubitat? Rudis sane materia, rudis aedificandi norma, sed quae, ut supra memoravi, plane respondent necessitatibus, super acervatum solum im-  
mote tolluntur, omnibus compagibus inter se simpli-  
citer, sed strenue et mire libratis, suo libero pondere. In subterraneis cubiculis, hucusque inviolatis, reperta sunt, praeter ossa, effigies Osiridis aenea, et amuleta tria aurea, laboris eximii, parvas columnas imita-  
tas, quas super artifex tria delicatissime capita in-  
sculpsit animalium ad naturam expressa: leaenae,  
aquilae, caprae. Nemo nescit id emblemata fuisse apud Aegyptios legitimae divisorum « triadis », quod mihi per epistolam etiam significavit summae in pharaonicis mysteriis scientiae vir egregius Maspero, qui indagationibus niloticis tamdiu praefuit, quarum nuper resumpsit magisterium. Et deos aegyptios semper in loculis phoeniciis habitare satis compertum est.

Harum effissionum, quamvis non indifferentem et copiosam, sileo bibliographiam; sed tamen operae pretium existimo academiis, inter alias, Matritensi et Parisiensibus rem delatam, quae dictamen inven-  
toris de phoenica tumulorum origine sua omnimode firmarunt auctoritate.


L. P. MICROVIR  
Regiae historicae Academiae in Hispania sodalis.

Usibus edocto si quicquam credis amico,  
Vive tibi, et longe nomina magna fuge.

(OVID. Trist. 3).

Illis facile ignoscitur, qui non perseverare, sed ab errato se revocare moluntur.

(CIC. in Vat.).



Italorum palatium in Expositione Parisiensi. (Cfr. num. XV, pag. 117).

**EX GALLIA**  
De omnium rerum Expositione Parisiensi.

VI.

MAGNUM aggressurus iter, longum spatio, diuturnum tempore.. Ne petatis quo pergam; nescio et ipse; hoc unum certo scio, me abituum; uno quippe in loco nequeo consistere ab incunabulis impatiens morae. Antequam inde divellar, mitto ad vos epistolam reliqua nostrae, veluti compendio, continentem.

Palatum a dextris turris Eiffel opticae sacrum est nongenta in quadro metrorum millia, quingentis minus, mole occupans ardua propter lacum, cui dominatur prospectus et fornix Zodiaci signis illustri, sculptore Thennisen dolatis. Persarum more columnae assurgunt; parietes compleant astronomica instrumenta sexcenta, prouti clepsydrae, quadrantia, monumenta omnia quae sunt ad metiendum tempus, quaeque fuerunt, anaglyptis referentibus, ac tum retum symbolis quaeque experimentibus. Per scalas ubi gradieris, ambulacro potiris unde aditus ad aulam siderostati, cuius aulae fornix vitris arte mira consistit operitur, ita ut die aurorae borealis imaginem reddat; noctu autem, opportune irradiante electride, fornix tota caelum est inscriptum sideribus ad ungues; et astrorum referens manipulos, quos constellations astronomi appellant. Hic erigitur siderostatus ille Foucault, cui famulatur telescopium ingens, metris sexaginta productum, et crystallinis lentibus metro ac 25 cm. latis in obiectivo praestans. Pondus siderostati 45 000 chilogrammata aequat in summa; mobilis pars 15 000. Speculum duobus patet metris, ac 3600 chilogr. pondo est. In telescopium impenitus duodecim centena libellarum millia; at rem fecimus, quae similes eiusmodi supereminet omnes,

Quantum lenta solent inter viburna cypresi.

Sunt hinc et inde transennae, quibus liceat omnia caeli milles ac ducentis simul hominibus contemplari. Duo hominum millia projectiones photographicas, ut aiunt, intueri una possunt.

Prope, circaque turrim hanc plura sunt aedificia;

e quibus non praeterem Mauritanicum tabernaculum, nomini, moribus, rituique suo consentiens; hinc imitatione Venetae urbis, ac monumentorum, quae in illa sunt, atque hac te in urbe versari credes; praeter unum quod singula minora sunt veris, habent mare, habent marinas vias, lintres, Marci basilicam, Ducale palatum, plateam illam caelo tantummodo dignam, et reliqua quod brevi cohiberi spatio potuere. Inde est Panorama, est Mareorama, in quibus ubi fueris, omnia experieris et motu et oculis, quae experireris Mediterraneum per mare navi devectus ab aurora ad vesperas, a procella ad quietem, a Gaditani freti conspectu ad maritimorum urbium visum, portuunque quot sunt; et Massilia, Venetiae, Neapolis, Panormum, Tunes, Constantinopolis apparent, suntque in portibus frequentia, adventus, et recessus navium, et in navibus ipsis, et ad litus baiali, nautae, mercatores de suis colloquentes negotiis, modo inambulantes, modo rixantes, modo stantes, modo abeuntes, modo redeuntes, ita ut nihil a vivis discrepent, praeter sonitum vocum ac violentiam verborum.

Digressi procedamus per gradus ascendentibus ad locum, subter quod quinque mundi partes ab Asia ad Australiam ita in solo redactae atque imitatae sunt fluminibus, montibus, urbibus, peninsulis, ut ipse tibi videare ad multa passuum millia per caelestia praetervectus, unde subiectum terrarum orbem, novus quasi Scipio somnians, contuaris. Atque inde, uti credas tibimetipsi illuc esse te ubi non es, ingredere globum, sphaeram illam ingentem, quam circum vicissitudines suas astra compleant.


Interior pars triginta et quinque metris diametro patet. Medius insedes terrarum orbi, quem circum sol, luna, sidera, cometae, nebulosae, quaeque suo motu proprio, intervallisque ex proportione volvuntur, propriis radiis, propriis figuris, electride movente omnia et globulos iradiante.

Festinat in scribendo calamus, cui multa supersunt, et plurima tranat, quamvis digna relatu, inter quae non exiguum sibi mentionem vindicant aedificium reipublicae Italicae, cui a Sancto Marino nomen, ac tabernaculum Societatis Angers a fodinis, et palatum, quod Comptoir d'escompte appellatur. Non enim haec frusta inviserentur.

At est aliud adinventum, quod spectatori orbem terrarum viantem offert sedenti, licet spectator iuret orbem stare, viare se. Dicitur gallice Tour du monde. Qui spectat in tenebris est; repente ita solum commovetur ut sedens putet se, nescio quo movente, transferri. Tunc quidquid est in urbibus Asiae, in Africa, in Europae meridionalis litoribus, a Lusitania ad Sinenses et Iaponenses, quidquid infra totum progrederit lente, percillit oculos, quasi est ad manus, et interea ipse abire credis non quatuor millia imagines, tabulasque, sed res totidem et visurus et videns. Athenae, Bosphorus, Byzantium, solemnia ruderia priscae Eliopolis, nunc Balbek in Syria, Aegyptus, influentiaque per isthnum effossum ad Suez ultraque maria, regiones Aethiopum, Ceylan mirabiliter arborescens, India duplex et monumenta eius, et Sinae, et Iaponensis insulae heic quoque praetererunt habitatoribus frequentes suis:

Palatum subit, cui nomen est a moribus vestium et consuetudine vitae apud Gallos, quos exhibit a temporibus antiquissimis ad romana, inde per imminentem imperium, aevumque medium ad Renascitiae, quos dicunt, dies, atque ad eos, quibus nunc vivimus. Hinc vestesque feminarum gallarum ante casas, hinc romana indumenta apud Gallos, Clunianenses Thermae, Clodoveus et Clotildes, castellum sive arx dynastae, filia Caroli Temerarii, patriciae saeculi illius, mox persona tragica. Alibi Catharina e Mediceis una cum astrologo, monachorum pompa religiosa per vias priscas urbis Parisiorum gradiens, Henricus IV et Gabriela, Maria e Mediceis, Ludovicus XIV filiae, denique Napoleon et imperatrix, dum haec sibi imperiale paludamentum pro die consecrationis aptat. Post haec quidquid Parisiensis ars molita est quoad vestes et ornamenta vestium. Immane opus!


Aedificium singulare prope est, quod «luminosum» dicere antonomastice libuit. Meruit nomen;



Parisiensis Expositionis prospectus ad "Trocadero."

siquidem palatiū fectum, ut die o lucis per vitra r videatur, noctu a lampadū millib quod fingere im acervo rupium, p bantur in inferiorū larum oculis dig noctu praeſertim terimus, nec me vocem: O pulcr merveilleux!

Femineae vanificium, nomine tem Jenae ac tu habens a tergo, nulla acceptio g et nigrae, et albae Mahumethanae h potionis, bellaria,



Parisiensis  
aqua viae; inferius  
rei, que deformitati  
conferre possit, a ce  
ad liquamina que  
videnti credite, sed  
trasse feminam, exii  
Circem, nega meta  
que terrarum ac te  
e taeniis, e zonis, e  
tellis, annulis, ina  
quidquid fieri potu  
ex lino, ex gossypi  
nibus singulis, omni  
femeineum opus et  
rastra et ligones, et  
coquinas, hic p  
miraberis, neque fi  
latum, sed veris v  
nguem.

Neque insignia  
alterum omnia qua  
alterum omnia qua  
continet. Illic a cla  
a rete et filo ad ha  
ad Phoeniciū na  
et Romanis ad ho

Inde digressi, si  
erit, in Trocaderu  
tabernaculorum fat

diametro  
m circum  
aeque suo  
ne volvun  
te movente  
alta super  
latu, inter  
ant aedifi  
no nomen,  
nis, et pa  
tatur. Non  
ori orbem  
tator iuret  
du monde.  
olum com  
movente,  
Asiae, in  
Lusitania  
otum pro  
ad manus,  
millia ima  
visurus et  
solemnia  
Syria, Ae  
n ad Suez  
mirabiliter  
, et Sinae,  
ereunt ha  
s vestium  
exhibit a  
per immi  
Renascen  
bus nunc  
um ante  
, Clunia  
castellum  
patriciae  
Catharina  
n pompa  
gradiens,  
, Ludo  
rix, dum  
consecra  
ars mo  
Immane  
luminos  
nomen;

siquidem palatum est ex vitro totum, atque ita con  
fectum, ut die omnes pluvii arcus ostendat colores  
lucis per vitra refractae, et quasi adamantino mons  
videatur, noctu autem duodecim intus electricarum  
lampadum millibus coruscans aliquid grandius sit,  
quod fingere imaginatione possimus. Impone totum  
acervo rupium, per quas sexcenti aquarum rivuli la  
bantur in inferiorem lacum, et habebis quod caelico  
larum oculis dignum sit. Ipse, et mecum populi,  
noctu praesertim, perpetuas ibi horas contemplando  
terimus, nec me circum aliud sonat praeter hanc  
vocem: O pulcrum! O admirabile! C'est joli; c'est  
merveilleux!

Femineae vanitati, ambitioni sacrum voluere ae  
dificium, nomine et re dignum sua, quod inter pon  
tem Jenae ac turrim Eiffel attollitur, Trocaderum  
habens a tergo. Illic invisentium mulierum coetus  
nulla acceptance generis et regionis, quippe pares ibi  
et nigrae, et albae, flavae, et cupriae, et Buddhistae et  
Mahumethanae habentur. Ephemerides iis idoneae,  
potiones, bellaria, ludi, secretiora conclavia. Haec

varietate blandiens atque retinens. Coram ponte, cui  
nomen Jena, mediis in viridariis Algerina pars, a si  
nistris quae sunt e Gallicis trans maria coloniis, a  
dextris tabernacula coloniarum a nationibus exte  
ris deductarum, tum gentium ex Oriente ultimo et  
Africa, ac post Trocaderi palatum, cui transitorio  
ponte haeret, tabernaculum insulae Madagascariensis,  
ac Senegalensis; deinde tabernaculum Sudanense, et  
de Coquinqua, de Tonkino, de Cambogio, de Mi  
quelonio, de litore Somaliorum, de Nova Caledonia,  
de Martinica, de Congo, de Guiana, de Guadalupa.  
In omnibus ades cuiusque gentis moribus, domibus,  
oppidis, templis.

Nolo esse longus singula enumerans; at Trans  
vaalianum non praeterem tabernaculum quominus  
indicem columnam aurata, quae ostendit pyramidem,  
aequam aureae massae a Transvaalianis fodinis  
effossae ab anno 1884 ad annum 1898. Basim habet  
in quadro metr. 2,50 pro quovis latere; assurgit metr  
is 14,36, pondo chilogr. 621 786; pretio libella  
rum 2 141 709 418.

omnia urinatores, quasi extrema ad salvandum ten  
tantes, oberrant, iacentque hinc inde cadavera. Ul  
terius, longius vulcanus submarinus flammas ab imo  
et fumigantes evomit undas, saeva tonans, saxaque  
eructans ad superficiem usque; moventur interea per  
aqua horribiles visu formae serpentium, squalorum,  
centimanorumque tentaculis horrendorum, et bella  
inter se cident, et victos devorant, dum gressus mi  
norum piscium territus ad scrupula et sub scrupula  
refugit rabiem cavens et famem potentiorum. Specta  
cula haec aegre linquis, quippe iugiter nova, et alia  
semper et eadem; at me terrent, afficiuntque moe  
rare; scio enim vera fieri centies in oceano, quae  
video. Quid si in aliud incidero simile ego deambulator aeternus? Vos Vieillotum fleretis; at ego,  
qui Sinas usque ire decreveram, visum prope quae  
illuc bello gerantur, ego non oceano me credam, et  
propositum eundi deposui. Quo volueritis ibo, sed  
pedes, sed eques, sed rota vectus, sive me equus,  
sive electrides, sive vapor traxerint; navita nunquam.

Me tamen recreavit ac refecit ista Expositio; vidi



Parisiensis Expositionis prospectus ad Sequanam flumen.



Horticulturae aedes in Expositione Parisiensi.

aequa viae; inferius quasi ingens emporium cuiusvis  
rei, quae deformitati auferenda, pulcritudini augendae  
conferre possit, a cerussa et stibio ad odoriferas aquas,  
ad liquamina quae crines colorent; nec raro obtigit,  
videnti credite, sed taceatis oro, cicneam capillis in  
intrasse feminam, exiisse corvinam. Nega nunc ibi esse  
Circem, nega metamorphosim! Quidquid autem ubi  
que terrarum ac temporum fuit e crinalibus acibus,  
e taeniis, e zonis, e chirothecis, e palliis, armillis, ca  
tellis, annulis, inauribus, pectinibus, diadematis, bus,  
quidquid fieri potuit ex auro, ex argento, ex sericis,  
ex lino, ex gossypio apud singulos populos in regio  
nibus singulis, omne congestum hic est; omne insuper  
femineum opus et labor omnis, a colu et lana ad  
rastra et ligones, a vanno et capisterio ad panificia  
et coquinas, hic per sua distributum tempora ad  
miraberis, neque fictum coloribus, neque argilla do  
latum, sed veris vivisque mulieribus expressum ad  
unguem.

Neque insignia minus illa duo dicantur, quorum  
alterum omnia quae ad silvas et ad venatum sunt,  
alterum omnia quae ad pescationem et navigationem  
continet. Illuc a clava et arcu ad pyrobalistulam, hic  
a rete et filo ad hamos et furcas, ab excavato truncu  
ad Phoenicum navigia et ab Aegyptiis, et Etruscis,  
et Romanis ad hodierna vapore, aut electride acta.

Inde digressi, si tamen inde cito divelli fas futurum  
erit, in Trocaderum procedendum reor multitudine  
tabernaculorum fatigans oculos, pulcritudine alliciens,

Post haec dignus mihi videtur ille Expositionis  
campus, qui Parisios reddit prout olim erant duobus  
ab hinc saeculis. Hic habet vicum aevi medii, nempe  
a porta S. Michaelis ad S. Iuliani templum saeculo XIII  
aedicatum a fratria *des jongleurs, menestriers et mai  
tres en l'art de la menestrandie*; vicum veteris fori  
cupediarii et nundinarii; denique vicum habet carceris  
pons *du Change*, viam S. Laurentii, et Palatium Iu  
sticiae. Hic videndae domus Molierii, Nicolai Flameli,  
pecuniosi viri in alchimia celeberrimi, nat. 1330, de  
nique Theophrasti Renaudot, qui primus ephemeri  
dem instituit anno 1631 *la Gazette*, et primo hebdo  
madarium fecit; mox frequentiore. Atque haec vivit  
adhuc, et ea est, quae *Gazette de France* nuncupatur.

Duo sunt palatia denique, horticulturam, ac den  
droculturam, sive arboriculturam attingentia. Haec  
non modo quidquid hortense et arboreum est, sed  
a rastro ad ventilabrum et ultra continent. Brassicas,  
lactucas, indivias habes ad palmam et bananum et  
cedrum. At quid simile tabernis, ac tabernaculis, quae  
«Via Parisiensis» dicuntur? Ibi «Turris admirabilis»,  
«Tabernaculum Auctorum laetorum», «Pal  
atium chorearum», «Niger Felis», «Palatium ri  
sus», «Domus cantionis» et similia; in quae semel  
ingressus, etsi sapiens, amens egredieris.

Aquarium autem summam omnium rerum conti  
nere creditur. Dat enim pelagi fundum, marinis mon  
stris pererrantibus inter scopulos et rudera absorptae  
urbis, inter fragmenta navis demersae, per quae

enim quid possit genus humanum si in pace quie  
scens sua bona et commoda curare potius, quam fra  
ternas caedes et excidia voluerit. Cur ergo non  
aeterna pax, cur non aeterna gentibus cum pace fe  
licitas atque prosperitas?

Spero fore hunc Expositionum fructum; populi  
enim tandem aliquando cognoscant quanta in pace  
adipiscantur, quanta bello perdant; rectores gentium  
autem quot mala congregent praelis in populos suos.  
Proh! gentes intelligent, et erudiantur qui terram  
indicant! Valete.

A VIEILLOT.

#### CADAVERUM CORRUPTORES

VITA erumpit ex morte: ita enim rerum abditae leges  
volvuntur; inde etiam ad mortuorum aetatem ae  
stimandam explorandamque viros doctissimos studiorum  
rationes duxisse credimus. Nec dicat fortasse quispiam:  
Eccur huiusmodi inquisitio? Sancta enim et salubris est  
supremi fati cogitatio.

Sed harum investigationum et aliud iuxta doctrinam  
sapientiamque naturae gravissimum pondus est, et que  
questionum etiam, quae legalem, quam vocant, medicinam  
attinent; multum enim ac saepe interest utrum huic vel  
illi anno hominis mors adscribatur; quam quidem «ca  
daveris aetatem» nuncupari nemo mirabitur.

Meghin, Lutetiae Parisiorum medicus, multa ad rem  
experimenta tentavit, planeque ostendit cadaveris corru

ptionem ab aliquot minimorum animantium speciebus maxime perfici, quae statuta quadam vice et lege ad detrimentum ultimi opus alias aliae sequuntur. Quin etiam singulae quae exinde denotantur phases distincto et proprio odore etiam significantur. Iamque praeter microbos hos - ut graeca, quae in usu est, voce utar - octo insectorum genera una cum acaris quibusdam cadaveri corruptendo vacant, eodemque microborum ordine adveniunt. Praecipuis enim aeris odoribus ex cadavere undique circum manantibus sua queaque vice funebres larvae illiciuntur. Cuius corruptionis militias hodie simul recensamus.

Vix itaque moriens homo ultimum efflavit anhelitum, advolat statim muscarum agmen ex *Curtoneura* et *Calliphora* familia, quae in carnem talis non macerata vides exercent suas. Tertia autem vel sexta post mortem die, cum iam corruptionis odor acrior diffunditur, alter properat vorax manipulus ex muscis *Luciliis* et *Sarcophagis*, quas acarus *Uxopeda* comitatur. Adipes autem mortui in gluviem interea coleopteron quorundam titillat ex *Darmestes* familia, atque papiliones *Aglossa* nomine distinctas.

Octavus ubi advenerit mensis, « lapsosum », quem dicamus, vel delabentem undique statum cadaver induit, ad quod conveniunt, ut escam sumant, muscae ex quarto agmine *Piophila* et *Autorneya* ex turmis, et coleopteron *Cercrobio* ex genere: utile est tamen scitu *Piophilam* ex eodem genere muscam enasci, quae sua germina in corrupto caseo deponit. His ex germinibus larvae illius prosilientes enascuntur quae in sapidissimo caseo, quod gorgonzola Itali appellamus, passim videmus. Post annum a morte elapsum, quae moliores sunt in cadavere partes in nigerrimum solvuntur liquidum; tunc in lacuna descendit quinta legio ex muscis *Ophina*, *Phora* ac *Tyreophora*. His copiose tandem epulatis, dum vix paucissima liquida supersunt bibenda, sexto agmini locus est *Silpha*, *Hister*, *Saprinus* ex manipulis constantes, cui et auxilia adsunt ex acaris *Triglophonibus*. Horum omnium labore convivisque expletis, binos iam annos a morte cadaver dinumerat. Colcopteri hos sequuntur *Anthrenus* et *Darnestes* tineaque minusculae, quae pellem, pilos, tendines vorant, ceteraque omnia, quae putredo delere non potuit. Ultimum denique manipulum, ingluvie minime incitatum,

coleopterii *Fenebrio* et *Pitinus* instruunt, qui micis ex ceteris septem epulis relictis contenti sunt.

Post haec nihil ex cadavere quam ossa arida supersunt, quae contra parasitas et tempus diutius obsistunt.

Paternos, maternos atque germanos hos complexus caro hominis in sepulcro experitur!

R. SPINA.

### CUINAM URBIS INCENDIUM TRIBUENDUM QUOD NERONIANUM DICITUR<sup>(1)</sup>

#### II.

**C**ORN. Tacitus narrans Urbis incendium ita exordiuntur (2): « Sequitur clades, forte, an dolo principis incertum, nam utrumque auctores prodidere, sed omnibus, quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt, gravior atque atrocior ». Duas hic tantummodo incendi causas Tacitus indicat: 1<sup>o</sup> « casum », « infortunium », « accidentis », quod est unicum in vocabulo « forte »; 2<sup>o</sup> « dolum Neronis ». Tertium non datur, sententia Taciti ipsius. Quanam igitur fide, quanam auctoritate tertium interseritur, quasi scripsisset: « Sequitur clades, forte, an dolo principis, an scelere Christianorum, incertum ? » Dubitationis campum totum Tacitus circumscribit, neque homini cuilibet terminos dubitationis huius superare fas est. Ergo non modo gratis incendium Christianis adscribitur, sed, repugnante ipso Tacito et elatus clamante, cladem hanc Urbis aut « forte » accidisse, aut Neronis dolo accidisse; non dolo, non scelere aliud cuiusque. Neronem culpa exuere desideras? Culpa casus excipiet. « Forte ! Casum culpa cupis exuere ? Unus Nero culpa induetur. Christiani, in quos crimen iniicias, ne nominantur quidem, quasi sceleris auctores, a Tacito.

Sed lectionem auctoris prosequamur. Itaque ille: « Initium in ea parte Circi ortum, quae Palatino Caelio montibus contigua est. Ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul (alii: semel) coepitus ignis, et statim validus, ac vento citus,

(1) Cfr. num. sup. (2) Annal. lib. XV, cap. 38.

longitudinem Circi corripuit ». Videte hic ignem non Christianis, sed vento citum. Iuvat autem... Proh ! si probare potuisse, qui Christianos accusat, si probare, si ostendere saltem potuisse flamas ab aliquo, in Christianorum potestate quod esset, aedificio processisse !... Istud esset forsitan indicium, aut posset esse... Ne spes. Idem quippe Tacitus ad Neronis indicandum animum, iussum, dolum, opus, haec habet in eodem libro cap. 40: « Plusque infamiae id incendum habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat ». Proh ! si Tigellinus hic vel pontifex, vel episcopus, vel presbyter apud Christianos fuisset, aut saltem Christianus ! Dubium fortasse tunc esset... Ne spes. Tigellinus enim hic non modo idololatra, sed amicus Neronis, « veterem impudicitiam atque infamiam in eo sequentis », et « validior Tigellinus in animo principis et intimis libidinibus assumptus » (1). Qui quidem Tigellinus « validior in dies, et malas artes, quibus solis pollebat, gratiore ratus, si principem societate scelerum obstringeret » (2), caedium ipsi, scelerum, impudicitiarumque omnium et pars et suasor, et omnis lascivias magister fuit (3). Igitur Nero alter hic, non Christianus; et ideo notatum est incendum e praediis Tigellini erupisse, quia « videbatur Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere » (4). Quid igitur sit inter Tigellinum, Neronem et incendium vos docet Tacitus; quomodo Tigellino et Neroni et incendiariis Christiani addantur, minime docet; immo Tigellinum et Neronem tantummodo recensens, confitetur de incendo nihil agitasse Christianos, Tigellinum ac Neronem unice composuisse et egisse.

Ceterum idem Tacitus celeritatem incendi, tumultum populi, calamitates infandas et mortes postquam narravit, in eadem paragrapho addit: « Postremo quid vitarent (Romani), quid peterent ambigu, complere vias, sterni per agros: quidam amissis omnibus fortunis diurni quoque victus, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant (a flammis), quamvis patente effugio, interiere. Nec quisquam (domos) defendere audebat, crebris multorum

(1) Annal. lib. XIV, cap. 51, in fine. (2) Ibid. cap. 57. (3) Cfr. Scholiast. IUVEN. Satyr. I, v. 155; Apollonius apud PHILOSTRAT. VII. Apollon. IV, § 44. (4) TACIT. Annal. lib. XV, cap. 50.

22]

### LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Quid quod tullianam copiam affectantes, circulatoriam voluntatem sectantur, et a trito verborum ac sententiarum orbe numquam discedunt? Accipe nunc, si vis, Trebatii, istorum praeclera nomina, quibus magistris utebamini abhinc annos XL.

Treb. — Mitte, queso. Nunc enim maxime intelligo, quam vere Diogenes affirmaverit, oratores atque omnes in dicendo gloriam querentes, ter homines esse, quod essent ter infelices. Itane vestri memoriam ingrata aetas obruit, dilecti mihi Laureani, Castellani, Massi, Milloti? Haec ab ingratis nepotibus gratia refertur, ut hi sese frumentum auctores arbitrentur, quas ipsi seruistis?

Loll. — Multa quidem de istorum beneficiis tibi assentias, ut ingratia animi crimen diluam. Fuerint igitur iidem viri quales Augusti aetas aut Leonis tulit. Quae si ita sunt, vivere adhuc necesse est ipsorum magisterium, ita ut nobis, aetatis vestrae filii, aut certe nepotibus, dicere licet: a te, pater Trebatii, a tuique similibus instituti sumus.

Treb. — Ita prorsus.

Loll. — Qui ergo tantum magisterii proximos heredes adeo insectamini, ut litterarum latinarum lumen extinximus penitus affirmetis?

Treb. — O morem praeclearum disciplinamque a maioribus traditam, si quidem teneremus! Sed, nescio quo pacto, iam de manibus elabitur. Sunt enim certi homines, qui non putant satis conversam esse rem publicam, nisi in communem poenam litteras etiam detruserint, nec mactare se posse Minervae gratiores victimas, quam si

graeci et latini sermonis excidio nefarium in religionem odium expleverint. Horum opera, non culpa nostra, damnum immaturo interitu res romanae latinaeque litterae fecerunt.

Loll. — Sint haec uti vis; stat adhuc tamen Capitolum vestrum; stat vigetque vetus illa institutio in scholis plurimis; nec impedit quisquam quominus nova ratio studiorum a iuventute arceatur. Tuo ipsis testimonio utar, Trebatii, cui vox illa nuper excidit: ego vestrum caelum curare non soleo. Quae cum ita sint, de duobus alterum fateri necesse est, aut impar esse vetus magisterium, aut falsum crimen ignoratae latinitatis.

Treb. — Ede tabulas, Loll; da nomina auctorum Latii restituti.

Loll. — Habes in publicis commentariis, in officinis librariis, in bibliothecis, in lyceis, in scholis primordiorum, in circulis, in ore doctissimorum hominum; quae omnia, nescio quo pacto, vestram oculorum aciem fugiunt. Nisi forte versari adhuc vos arbitremini ea in aetate, quum quaereretur, quo sermone latina esset exaranda grammatica; aut quum primum ipsa italicis prodiit, quod quidem non ante annum reparatae salutis MDXXIX contigit; vel quum post annos paene viginti, libros de lingua romana sex dedit Franciscus Priscianensis, quem deinde exceperunt Fabrinus, Grifonius, Toscanella aliquis satis longo intervallo grammatici, usque ad puerorum terrorem F. Porretum; aut quum elegantiarum aucupes primi extiterunt ac vocabulorum indices, quibus Calepinus nomen dedit, quemadmodum Americae Vespuccius. Non ea profecto tempora Hortensii memoriam postulabant, ut scriptorum nomina recitares, nota etiam mulierculis. Tu a me indicem quaeris, quum imprimendarum litterarum perfecta ratio, quum novae urbis exploratae plaga, quum longe lateque tentata itineria doctrinae patrimonium commune

efficerunt auxeruntque cognoscendi cupiditatem tot reperita monumenta, tot proiectae disciplinae, tot eruta e tenebris arcana sermonis et comparatae Ariae linguae, tot ad unguum emendata atque illustrata veterum scripta, tot studia mutuo collata, tot subtilius investigatae rationes perdiscrendae vetustatis in omni vita explicatione. Nomina quaeris, quae ut minus in scena sint efficit numerus. Quod si ubiores ex agris expectandi sunt fructus, quo plura sunt iugera in quibus oliveta fiant aut instituantur vineae, iam intelliges, quemadmodum propagata undique magisteria et multiplicata gymnasia maiorem ingeniorum segetem sint redditura. Qua in re, ut omittam ceteras gentes, velim scias, anno MDCCXCIV, in foederatis Americae civitatibus latino sermoni vacasse, quum in publicis, tum in privatis scholis utriusque sexus adolescentes ad numerum plus viginti millium et quingentorum (1).

Treb. — Ede tabulas, ede nomina.

Loll. — Heic, medio in agro Reatino, requiris tabulas, poscis nomina? Accipe quaedam nihilominus, prout menti succurrent. Audistine quidquam de libris Bertani, Curtii, Cimae, Drägerii, Krebsii, Madvigii, Mullerii, Nügelsbachii, Zambaldi...?

Treb. — Paedagoguli abite, abite pestes, Istinc ferte pedem, invenisti, inepti, Invisi pueris bonis malisque; Abite in miseram crucem, execrati, Saecli perniciose litterarum, Limprandi, Metriique Fusique, Prandini, Ochinari atque Juliani, Scopaque et Boreae et Rutilliani.

(1) Report of the Commissioner of Education for the year 1894-1895. Vol. I, Washington, 1896.

minis restinguie iaciebant, atque ut raptus licenter quae ad verbunum iussum, Tigellini viderit, aut coegerit.

Sed quae T...

Habemus ita agens, non antequam eius, qua Palatinus ignis propinquat latium et domum latium populo ex monumenta Agricola et subitaria aedificia acciperent. Subvenient municipiis. Pretornos nummos. cedebant, quia per Urbis, inisse eum inanum excidium, mulantem.

Subdit (3): « finis incendio factus ut continuae violencia occurret. Nec durus rursum grassatus, strages hominum initati dicatae, latitudinem habuit, quod ruperat. Videbatur cognomento suo in regiones quartas tuor integras manus reliquis pauca tenuis.

Nihil, prout videtur, tantibus, vel promovit ne nomine quidem.

(1) Lib. XV, cap. 40.

Loll. — Probe tot poris grammaticos, praesentes grammatis praestantissimus, Belsanius, Berocchia, Compare De-Blasius, Decia, Gnesottus, Hercules Mestica, Natta, Novis, Pettius, Pio Romitius, Sabadinus, Trezza, Valmagius.

Treb. — Remova, da, si qui sunt, ar...

Loll. — Praeter latitudinem disceptationis quorum in dies continentium scriptores P. M., qui humanum afferre nominis Festae, Gandini, Gossotti, Gualandi, L. Nencini, Nocella, Tarozzi, Tartarea, Medias voces a rate; adest Petrus.

Tum Trebatii cios factoque agerunt. Quo trahentur intenditibus tenet.

(Ad proximum n.

lete hic ignem non  
aut autem... Proh! si  
accusat, si probare, si  
ab aliquo, in Chri-  
stificio processisse!...  
set esse... Ne spes,  
ad dicandum animum,  
eodem libro cap. 40:  
habuit, quia praediis  
Proh! si Tigellinus  
presbyter apud Chri-  
stus! Dubium fortasse  
enim hic non modo  
terem impudicitiam  
« validior Tigellinus  
bus assumptus » (1).  
dies, et malas artes,  
us, si principem so-  
edium ipsi, scelerum,  
et suasor, et omnis  
Nero alter hic, non  
incendium e praediis  
Nero condenda urbis  
gloriam qua-  
llinum, Neronem et  
modo Tigellino et  
natur, minime docet;  
ummodo recensens,  
Christianos, Tigel-  
line et egisse.

incendi, tumultum  
postquam narravit,

remo quid vitarent

omplere vias, sterni

fortunatis diurni quo-

eripere nequivabant

gio, interire. Nec

crebris multorum

minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant, atque sibi esse auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercent, seu iussu ». Qui in hisce, quae ad verbum et apicem retuli ex Tacito (1), Neronis iussum, Tigellini operam, et utriusque ministros non viderit, aut coecus est, aut videre negat.

Sed quae Taciti sunt persequamur.

Habemus itaque (2): « Eo in tempore Nero, Antius agens, non ante in Urbem regressus est, quam domui eius, qua Palatum et Moecenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Neque tamen sisti potuit, quin et Palatum et domus, et cuncta circum haerirentur. Sed solitum populo exturbato et profugo, Campum Martis, ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos, patefecit; et subitaria aedificia exstruxit, quae multitudinem inopem acciperent. Subiectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis. Pretiumque frumenti minutum, usque ad ternos nummos. Quae, quamquam popularia, in inritum cedebant, quia perverserat rumor, ipso tempore flagrantis Urbis, inisse eum domesticam scenam, et cecinisse Trojanum excidium, praesentia mala vetustis cladiibus adsimilantem ».

Subdit (3): « Sexto demum die, apud imas Esquilias, finis incendio factus, prorutis per immensum aedificiis, ut continuae violentiae campus, et velut vacuum caelum occurseret. Nec dum posito metu, redibat, haud levis, et rursum grassatus, ignis, patulis magis Urbis locis, eoque strages hominum minor: delubra deum, et porticus amoenitati dicatae, latius procidere. Plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat. Videbaturque Nero condendae urbis novae, et cognomento suo appellanda gloriam querere. Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus deiectæ: septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera et semiusta ».

Nihil, prout videtis, de Christianis incendia vel mediantibus, vel promentibus, vel crientibus, nihil de hisce, ne nomine quidem. Unice Nero ac Tigellinus prorupe-

(1) Ibid. cap. 57.  
(2) Lib. XV, cap. 38.  
(3) Lib. XV, cap. 39.  
(4) Lib. XV, cap. 40.

Loll. — Probe tenes Nicolai De-Arcu versus in sui temporis grammaticos, quod si fuit ante annos prope tercentos; praesentes grammaticorum principes et interpretes latinitatis praestantissimos ignoras. Eo in numero sunt Bassius, Belsanius, Bertolottus, Bonitus, Cecius, Ciccarellus, Cocchia, Comparettus, Cornalius, Corradus, Cortesius, De-Blasius, Decia, De-Marchius, Ferrerus, Giambellus, Gnesottus, Hercules, Landuccius, Marendutius, Menghinus, Mestica, Natta, Novara, Pagliccius, Paisius, Pascalius, Passera, Pettius, Piovanus, Pratesius, Rigutinius, Rocchius, Romitius, Sabadinus, Sassatellus, Stampinius, Tincanus, Trezza, Valmagius, Zenonius, Zienliskius...

Treb. — Remove, queso, grammaticos atque eruditos: da, si qui sunt, artifices in scribendo.

Loll. — Praeter innumeros, qui gradum doctoris per latinam disceptationem summa cum laude adepti sunt, quorum in dies crescit numerus; praeter tot exterarum gentium scriptores eximios; praeter denique Leonem XIII P. M., qui humanitati et ascensui omni anteverit, possum afferre nomina Anzolettae, Cimae, Eusebii Friderici, Festae, Gandini, Garitii, Giri, Giussani, utriusque Gnesotti, Gualandi, Lanfranchi, Mengotii, Milli, Muccioli, Nencini, Nocella, Pascoli, Ramorini, Rasi, M. Ricci, Rieppi, Tarozzi, Tartarae, Tripepi, Vitrioli, Vulpini...

Medias voces abrupti praecantium clamor: — Proprete; adest Petrus excubias agens ad portam Reatinam.

Tum Trebatius et Lollius citato cursu consecuti socios factoque agmine veterem praecoptorem consulaturos. Quo trahente per funem senis asinum, primum se intendentibus tenebris, Reate ovantes ingressi sunt.

P. ANGELINI.

(Ad proximum numerum).

runt in scenam, unice crimen inditum iis. Quapropter haec est summa Tacitianæ narrationis: Incendium Urbis forte, an dolo Neronis excitatum sit, incertum; utrumque tradidere scriptores rerum. Ex hisce autem, quae Tacitus enumerat, excluditur prorsus quod forte fuerit, asseritur, ostenditur atque probatur Neronis dolo fuisse. Aut fortuito flagrasse dicendum, aut Neronis dolo exarsisse; nil medium. Tacito non cladis causa casus, sed Nero videtur.

Sed quae addantur consideremus. Cap. 41 incendiis damna notat, notat insuper tempora, quae nonnullis fatalia rediisse visa sunt ab incendio Gallorum. De Christianis ne verbum quidem. Cap. 42 narrat Neronem usum fuisse magistris ac machinatoribus Severo et Celere ut novam resuscitaret et ruinis urbem, viris audacia aequantibus dementiam principis. Cap. 43 novus Urbis ordo ac magnificencia et elegantia narratur, et Neronis munificencia ut queaque restituerentur; perstringunt autem viae latiores antiquis, quia nimis soli patentes, atque ideo insalubres; nulla enim umbra defensae graviore aestu exardescant. Cap. 44 narrat piacula, sacrificia, supplicia diis facta, et iis utitur verbis: « Et haec quidem humanis consilio providebantur. Mox petita diis piacula, aditique Sibyllæ libri, ex quibus supplicatum Vulcano et Cereri Proserpinæque, ac propitiata Iuno per matronas primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde, hausta aqua, templum et simulacrum deae prosperum est, et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae, quibus mariti erant ». Siquis autem intelligere voluerit quid sonent haec verba Taciti dum recolit et præ oculis pietatem Neronis ponit, legat necesse est, quae idem ipse auctor praenotavit in superiore libro, ac praemonuit. Ibi enim (1), atrocis infandaque plura Neronis unius accusatio est. Quod quidem egregie notat auctor, si latina quae dixit latina severitate interpretetur. Ait autem: « Ergo abolendo rumor », non: ad abolendum rumorem! « Nero subdidit reos, et quæsitissimis poenis adfecit, quos, per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat ». Taciti breviloquentiam et elegantiam pedestri sermone declaramus, reddentes verbis et vocibus, quod non interpretationis libertate, sed licentia iis auctor opusculi tribuit a sententia Taciti longe diversum: Quum nec ope humana, nec largitionibus Neronis, aut deum placamentis decederet infamia, quin a Neroni iussum incendium crederetur, Nero huic infamiae, quam abolere debebat, in locum sui nominis conatus est substituere, et substituit, ac dedit gentem ob flagitia invisam, quam vulgus Christianos appellabat, et quæsitissimis hanc poenis affecit, quasi ipsa - non ipse - crimen incendi patrasset.

Re quidem vera ex toto contextu Taciti, qui Neronem ac Tigellinum, et utriusque servos, uti ex iis quae retulimus patet, incendi auctores et ministros ostendit, rei non sunt Christiani, qui antea nunquam apparent, propterea quod ii rapti sunt in infamiam et poenas, quae Neronem, Tigellinum et ministros utriusque debuissent absumere, non eos, qui a crimine, Tacito teste, absfuerunt. Idque clarus fulgebit, si verbum subdere, quo hic Tacitus utitur, exponamus, quod tamen in proximum numerum, spatio deficiente, differimus.

G. P.

(1) Annal. lib. XV, cap. 64. (2) Annal. lib. XV, cap. 44.

## COMMUNIA VITÆ

Vinea, vendemiae, et quae propter. (1)

HISCE, hero curante et advigilante proprius, rite confessi, variae seligndæ sunt uvae, singulae iuxta speciem, ut seorsim premantur. Sed curae domino sit, antequam vinitorum agmen in ordines vitium depopulandarum intret, solum occare et communiquer, ne sit gleba, sed omne in aequo; idque ea potissimum causa, ne dum a vite expoliata mulieres recedunt, « scirpum », seu corbulas in capite gestantes, offendant pede in glebas, vel inaequali labant solo, deiectasque in terram una cum « cophino » communuant atque atterant uvas, mustumque disperdant. Quae autem ad succidendos bothros mittuntur, sedulo monendæ sunt, sedulo erudiendæ circa opus, quod creditur ipsis faciundum. Nam eadem in vite non omnes pariter bothri idem sapiunt. Vitis dicitur integrum fructuosæ huius plantæ. Partes autem eius præcipuae habentur « sarmentum », quod est vitis truncus; a sarmento, ceu rami, « coles » erumpunt, modo bini, modo unus. Ex hisce qui uam parunt, putati quum sint « palmæ » dicuntur, atque etiam « parilema ». Qui coles autem putati curvantur in arcum, et sudibus, queis vitis innititur, alligantur, « capreoli » appellantur, seu « capreæ ». Capreolus igitur est « coliculus » viteus intortus plerumque ut « cincinnus », a quo novi palmites ac ramei progrediuntur; palmites autem per sudes graduntur crescentes, capiuntque alta, atque hinc dicti capreoli, quod in ardua captanda, capræarum instar, festinent. Quapropter sedula mulier excludet electo canistro quotquot erunt « botryones » et « scipiones », qui vel a « flagello » aliquo, vel a « palmite » ipso orientur; hi enim immaturi saepè, crudique, insulsi semper. In ipsis autem ex eadem vite seligndæ racemis illos addat optimis, qui sole aperto, et qui sarmento, et qui solo propiores, tum qui nihil habeant corrupti in globulis, nihil grandine perculsum; optimi quoque faciendi illi sunt, quos aves, uti turdi, passeris, ficedulæ, merulæ rostro percutserint; volucres enim, cum tanta ipsis pateat copia rei, sibi optima tantummodo quaerunt et occupant; idemque vespis et apibus in more est.

Plurima sunt autem uvae genera, quae inter se differunt, et inde facile distingui possunt, primum colore, secundo conformatione, tertio densitate, quarto magnitudine, quinto denique odore. Singula dum enucleamus, nomine vel proprio, vel proprio indicamus. Quadruplex in uvis color. Sunt enim atræ penitus, quas inter « hispana », quae et « granata » et « granatina », ceteras antecellit; cui proxime accedit « caesenatica » vel « caesanensis », omnes prætergressa laudes in Sublacensibus vinetis, quam et alibi « aleaticam » dictam invenio. Purpurea sequitur uva, quae et « miscella », et « graeca », et « nigella », et « helvenacia », et « fraga », diversa apud diversos. « Flava » tertia est, quae Urbevetanos, Latiosque ditat colles, et Siculas et Appulas et Lucanas vineas, squallentis auri colore praferens, cui adnumerandam censemus « smyrneam », « amineam », quamvis ex ea nigra quoque sit species, et « creticam », quae apud nos « malvasiam » et « apiciam » et « scanthianam » et « apianam » vulgo, « muscatellam » apud Italos. Quarta denique ea, quae viridi colori proximior, ex qua « labrusca » quae dicitur in Marsis, præcipue ad Fucinum lacum, et quae « gallica » passim. Ceterum siquæ uvae sole carent, viridem potius quam flavum, immo et aegre purpureum ineunt colorem, rara quinim est quae sole fruens non flavescat, saltem in racemi parte solis radiis obversa.

Ad conformatiōnēm quod attinet, quadruplex haec pariter est. Prima « cornuata », et adamussim cornu referens in singulis acinis. Haec Tiburis divitiae ac deliciae, et huius urbis in agro et hortis mirabiliter sobolescit. Colore duplex, nempe et miscellum exhibet, et ex viridi flavescentem; haec autem ultima primæ longe supereminet. Altera species acinos habet ad ovi formam, et in hac specie praestat « sicalia », quae zibibo italicæ

(1) Cfr. num. sup.

cupiditatem tot re-  
iplinae, tot eruta e  
atae Aiae linguae,  
trata veterum scri-  
bilius investigatae  
omni vitæ explicatae  
in scena sint ef-  
ris exspectandi sunt  
us oliveta fiant aut  
aemadmodum pro-  
cata gymnasia ma-  
ura. Qua in re, ut  
anno MDCCXCIV,  
o sermoni vacasse,  
lis utriusque sexus  
i millium et quin-  
-

o, requiris tabulas,  
minus, prout menti-  
nis Bertani, Curtii,  
erii, Nægelsbachii,

, inepti,  
xsecrati,  
,  
iani,  
iani.

n for the year 1894.

nuncupatur; pone subit quae « pergula » et « pergulensis »; sequitur dein « trichila », ita quae nominatur, quia tertio minor « pergula » est, et cuius nomen « vaccina » est apud villicos, quum papillam vaccini uberis imitetur. Tertia species habetur in acinis perfecte orbicularibus ac rotundis, communis uvis plerisque et fere ceteris, nec nimium, nec minimum tumens. Quarta species datur ex illa quae minimis utitur acinis, quae et apud nonnullos « miliaria », apud alias « piperina »; vix enim grana piperis mole acini excedunt; denique apud alias « passerina », quia singulos acinos passer non frangens potis est deglutire.

Hac praecipuae uvae species. Ex hisce autem eliges, quas in « oportheca » aut in « carnario » suspendas, praesertim ex illis quae raros habeant acinos in scopo, quae duriore sint cortice, quae non manu rotatae, sed meridianis horis aestuante sole e capreolis ferro avelantur, quae musto non madeant alieno, non suo, nullimode fractae. Idonei et insignes ad rem habentur « cornuatae » racemi, « hispanae », « fragae », « apianae », « pergulenses » et « vaccinae », si tamen adiunctis reliquis bene responderint. Solebant veteres eas commodissime servare per hiemem in ollis, servare in carnario suspensas; hodierni, qui rei student, industria multa ita servant, ut recentissimae semper in mensis appearant, et ferme videantur hesternae.

(Ad proximum numerum).

H. DE VECCHI PIERALICE.

## ANNALES

**Transvaalianae et Sinenses res - Campos Salles, Brasiliae praesidis, in Argentinam rempublicam iter - Iberorum seditiones - Novum Summi Pontificis documentum.**

**D**um Krüger praeses exsul e patria ad nostra litora properat, excipere eum feriis solemnibus tum Galli, tum Belgae, tum Batavi sese parant, iamque Tolosana in urbe novus convenit coetus ad Boerorum libertatem in extremis usque propugnandam, ad quem pariter accesserunt scriptores ex diariis Americae celeberrimis *Daily-Express*, *Daily-Telegraph*, *Messenger*. Galli vero ensem pretiosum, quem Cronje duci dono dandum conlato aere effinxerunt, praesidi interea tradi statuant. Neque incassum forsan; bellum enim nec exactum adhuc, nec fini proximum videtur; quin etiam De Weet ducem professum audivi, cum rogaretur quanam die fore ut bellum conficeretur: « Cum filii ipsis nobis in agmine sufficientur! »

\*

Constituuntur iam in nordicis Sinarum regionibus castra ad hibernandum, legatique Sinensium una cum Europaearum gentium exercitibus convenientes, de pace componenda sermones habent. Verumtamen tum circa militum itinera et castra, tum in reliquis immanis imperii provinciis, quotidiana fere sunt praelia. *Boxers* enim perduelles turmae cum imperialibus legionibus, vel cum Europaais pugnant atque meridionalibus praesertim in provinciis, et Canton circa urbem, novissimae incendi seditiones nuntiantur, quas forte armis compescere sua quoque vice necesse erit.

\*

Celebratae sunt tamen tot inter belli rumores pacifcae in Argentina republica feriae in Campos Salles, proximae Brasiliae praesidis, honorem, qui Bonearense ad urbem visitandam iter fecit. Hunc salutarunt Argentini cives exsultantes, atque Antonius Devoto, Italus eques torquatus, in suis magnificissimis aedibus hospitio exceptit, quas aedes Pontificis legatus solemniter lustraverat. Non omnem autem tanti itineris fructus ferias fuisse credam, sed et aliquod ferme foedus inter latinae Americae po-

pulos ferendum Brasiliae et Argentinæ reipublicae praesides statuisse suspicor. Praeses vero Campos Salles magnas inter Argentinorum orationes iter tandem ad Montem-video rempublicam prosecutur.

\*

Ex Iberia inopinati ferme allati nuncii sunt. Qui enim Carolum regem extorrem patria reducere ad thronum cupiunt, coniurationem iniverant armaque secreto instruxerant, ut violenta seditione rempublicam everterent regemque et reginam expellerent. Periculum administrorum prudentia compescuit; at multos seditionis principes in vincula tradere, diarios omnes regi exsuli faventes abolere, rempublicam denique manu militari dictatoriaque potestate regendam tradere oportuit: quamquam ea non impedierunt quominus heic vel illic manipuli armis instructi per montana loca exsurerent, ad nordicos praecipue fines, quos ad disiiciendos legiones undique missae sunt. His modis in miseriarum cumulo ad amentiam usque populi interdum ruunt!

\*

Iubilares annus ad finem pergit; neque Supremi Patris vox silere poterat. Qui quidem de animarum salute in omni vita sollicitus novum edidit sue caritatis et sapientiae monumentum encycelicis litteris, ut quotquot ubique sunt christiani Redemptorem suum qualis est noscant « in quem ut quis intuebitur mente sincera iudicioque integro, ita perspicue certet, nec eius lege fieri quidquam posse salubrius, nec doctrina divinius ». POPULICOLA.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS

### LEGIBUS FERENDIS

**I**n Americana nordica foederata republica maximis suffragiis contra Bryan, popularis civitatis candidatum, Wilhelmus Mac-Kinley praesidis munus iterum adeptus est. Comitorum solemnitatem etsi heic vel illic seditionis discordia turbaverit, maxima suffragantium frequentia expletam tradunt.

In Anglia inter administratorum munera haec recens immutata sunt: Salisbury, qui collegio praest, officium, quod a privato sigillo nuncupant, suscepit; Lansdowne marchio, qui bellicarum rerum praefectus erat, externis negotiis praepositus est; bellica autem Brodrick, qui alter ab externorum negotiorum administro erat, curanda habuit; Ritchie rebus domesticis gerendis vacabit; Selborne comes navalibus negotiis.

In Bulgaria nova comitia (*Sobranje*) Ferdinandi principis augurali oratione iterum coacta sunt: quae de Rumerorum Bulgarorumque bello minae impenderant, proxime fore ut evanescant principes promisit.

In Chilena republica novum administratorum collegium his viris convenit: Fontecilla ut collegio praesit, Errariz ut res ad exteriores gerat, Covarrubias qui aera-rium administret, Herboso iustitiam, Besa bellicas res, Codecido denique ut artes provehat.

In Gallia utriusque coetus sessiones iterum coepit. Vazeille, populi orator, de omni reipublicae cura gubernantes administratos rogavit, cui Waldeck-Rousseau primus, qui collegio praest, deinde Millerand, commerciorum minister, fusa oratione morem gesserunt.

In Helvetia totius populi voto ad suffragium ferendum advocati binae rogationes repulse sunt, altera de proportionali voto in nationalis Consilii viris eligendis adhibendo, altera de foederalis Consilii viris per populare suffragium directe advocandis.

In Hungaria de protestatione a Francisco Ferdinando principe circa suas nuptias prolata, inter leges regni referenda, coram popularibus oratoribus actum est. Coloman Szell, qui administris praest, libere fassus est recons a principe nupta nunquam fore ut Hungarorum

regina fiat, sed tamen veneratione omnium semper prosequenda, etsi regale solium non ascenderit.

In Iberia Ramos Izquierdo, navali militiae praefectus, ut navales res summa auctoritate curet in administratorum coetum adlectus est.

SCRIBA.

## LIBRORUM RECENSIO

**AMERICO Can. BEVILACQUA. Trattato dommatico, giuridico e morale sul matrimonio cristiano secondo la dottrina di S. Tommaso, di S. Alfonso e dei migliori autori, in conformità dei documenti più recenti della S. Sede e con l'aggiunta di una parte speciale riguardante le leggi civili e le disposizioni del Codice civile italiano sul matrimonio e la famiglia. - Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., MDCCC.**

Opus hoc Pontificis litteris in forma brevis recens datum in tres partes dividit; quarum prima, matrimonium considerans prouti est naturae officium, theologicas et morales quaestiones attingit, contra illos maxime, qui, naturalistae appellati, Ecclesiae matrimonium sese invente presumunt. Secunda est de matrimonio, tamquam de Sacramento a Christo instituto, ibique congruerat, aperte, ordinate efficientes rationes, Ecclesiae leges, quae ad matrimonium eiusque species singulas pertinent, explicantur: insuper de debito conjugali agitur. In tertia autem parte rei publicae institutiones omnes de re praebentur. Neque satis; sequitur enim appendix, in promptu exhibens dubia eorumque solutiones, et disciplinam, et usum, et Ecclesiae recentiora decreta.

Satis sit haec nos, licet strictim, retulisse, ut non modo ecclesiastici viri, sed etiam profani, periti juris praesertim, momentum magni huius libri apprime percipient, et de matrimonio disceptatur intelligent, ipsum profecto sibi adeundum.

I. F.

## AENIGMATA

### I.

*Vox prior: antistes venerandus Christicolarum.  
Altera vox anni tempora grata notat.  
Has voces miscere subit tua corda cupido?  
Fac cito! Nascetur planta soporifera.*

### II.

*Robureum lignum flamma comburor edace.  
Aptam praefigis tu mihi particulam?  
Te coram cernes hominem, qui, rure paterno  
Expulsus, tectum quaerit et hospitium.*

FR. PALATA.

**Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus sortitus gratis accipiet opus, cui titulus:**

**CONSTITUTIONES LEONIS XIII  
SUPER IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC**

Aenigmata a. III, n. XVIII proposita his respondent:

1) **As - caules.** 2) **Spica - Pacis.**

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco, Roma - F. Arnori, Mediolano - Th. Vinas Sch. Piar, Tarrega - E. Burg, Vindobona - Ant. Schneider, Monachio - Fr. Sallares Sch. Piar, Sabadello - A. Chevénement, Nods - Ios. Wabner, Varsavia Polon. - Herm. Gini, Taurinum aquis - Rug. Pancaro, Consentanea Brutiorum - Petr. Garrone, Pezzana - Rug. Pancaro, Szymaitis, Opitoloki in Lithuania - Aug. Roberge, Chicot, in Canada.

Sortitus est praemium

**HERMES GINI,  
ad quem missum est opus, cui titulus:**

Prof. LUIGI CHIESA.

**LA BASE DEL REALISMO**

**E LA CRITICA NEOKANZIANA**

**Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.**

**ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.**

um semper pro-  
erit.  
militiae praefec-  
turae in admini-  
stracione.

SCRIBA.

NSIO

o dommatico,  
ristiano secondo  
dei migliori au-  
i della S. Sede e  
nte le leggi civili  
matrimonio e la fi-  
et Soc., MDCCCC.

revis recens do-  
prima, matrimo-  
um, theologicas  
os maxime, qui,  
nium sese inver-  
monio, tamquam  
ue congruerent,  
esiae leges, que  
pertinent, expo-  
nt. In tertia autem  
re paebeantur.  
romptu exhibens  
am, et usum, et

etulisse, et non  
periti iuris pae-  
appime percipi-  
telligent, ipsum  
I. F.

risticolarum.  
notat.  
cupido?  
fifera.

or edace.  
am?

ure paterno  
pitium.

R. PALATA.

is interpreta-  
rem miserint  
atis accipiet

S XIII  
M DCCCC

s respondent:  
Pacis.

Th. Vinas Sch.  
chneider, Mon-  
Chevénement,  
Gini, Taurinis  
r. Garrone, Pez-  
ithuania - Aug.

MO

risperitus.

## PER ORBEM

**P**ROPERANTIBUS tristi sub dio udosaque caeli temperie morientis anni diebus non diffiteor itinera haec mea graviora effici, eoque praeferim quod meridionali, quo sum, corporis habitu, et uno sole nitido puroque aëris aspectu laetus, aquariam tempestatem non aliter quam Tartarius Tarasconensis in Helvetia finibus deambulans horream. Verum, quod muneris est, invitus perficiam, referamque potissima quae postremi dies attulerunt. Quamquam ea quoque adeo similia temporis, adeoque tristia plurumque adveni, ut hac etiam de causa consultius egisset, si nunquam profectus essem.

¶

Galvestoniam procellam, qua civitas frequen-  
tissima ditissimaque solo aequata est, Annamiticam fortunam aemulatam esse ex Gallicis dia-  
riis audio. Ex Hong-Kong enim insula telegra-  
pho nunciatum est Annam regionem omnem, quam Galli coloniam occupant, horrida tempe-  
state fuisse vastatam, incolarum duo millia oc-  
cubuisse, domorum autem quatuor millia deleta.

In Punicis Africæ litoribus novum infortunium Gallorum pariter colonis ingruit, qui ad Matlaoni loca in phosphati metalli fodina adla-  
borabant. Fodinae enim parietes hec et illuc con-  
tremiscere, hiare, ruere coepérunt, neque effos-  
sores, quanvis citissime fugientes, incolumes omnes subita ruina evaserunt; immo plus quam  
triginta saxis atque lapidibus interclusi atque obruti sunt, quorum de salute nulla iam spes superest. Caracas denique, in meridionali Amer-  
ica urbs, ingenti terraemou quassata est, graves-  
que hominum caedes aediumque ruinas persensit;  
exterarum gentium legati plurimi, italicò excepto, vulnera inde retulerunt, ipseque reipublicae  
praeses vix e fenestra in plateam prosiliens a  
suae domus ruina sospes ausfiguit.

¶

Belgarum et Austrorum gentibus curruum ve-  
hicularumque damna haud leviora supervenerunt.  
Vaporitraha ex Charleroi profecta apud Iunet lo-  
cum et tramitibus aberravit, quatuor supra decem  
e viatoribus in terram pulsos graviterque sau-  
ciatos contudit. Sed Vindobonae, in *Favoriten-  
strasse* via, electrica vis graviora attulit; telegra-  
phica enim funis fracta e malo concidens, aliam tetigit quae currum in via agebat. Tunc pertransiens statim mulier, fluida circum electridis vi  
praecincta, sensibus destituta cecidit; viri, qui ad sublevandam concurrunt, ipsi vicissim procum-  
bunt, ictus terribilis inopinato omnes quatit, adeo-  
que violentus, ut alterum e sospitatoribus in vita  
discrimen adduxerit.

¶

Seditiones et desertiones, quas hominum ma-  
lesuada perfidia commovit, alias regiones per-  
turbarunt; ex America vero opifices, qui Walley-  
field in Canadiana republica ex opere recesser-  
ant, ad concordiam redisse tradunt, eo quod a  
gubernatoribus impetraverint, ut ad tuendam re-  
gionem milites ex Gallica stirpe Anglicis militibus  
sufficerentur. Sed in Moldavia agricolae per Sant  
loca tumultuantes compescere armis oportuit.  
Buda itaque in oppido curionum aedes seditionis  
turba aggressa est, easque tanto furore occupavit,  
ut vix illi qui adessent, e fenestrâs prosilientes,  
aufugerint: quare concurrentes milites in turbam  
ballistis usi sunt, et octo vulnerarunt ad necem.

¶

Eadem pertimescebant Lugduni Gallicae re-  
publicae moderatores, ne in feris evenirent, quae  
ad inaugurations Carnot, defuncti praesidis, sta-  
tuum habitae sunt. Redundabat igitur militibus  
civitas omnis, ne quis Loubet praesidem voce  
aut manu petere auderet; sed res praeter spem  
tranquilla quiete perfecta est. Immo advenienti  
praesidi, equitibus cataphractis praecincto, po-  
pulus festanter obviam properavit, acclamatio-  
nes et salutationes et plausus magno strepitu  
iteravit. Augagneur, qui curionum syndicus praes-  
est, Waldeck-Rousseau, qui supremo adminis-  
trorum collegio praeficitur, fusas orationes plau-  
denti populo habuerunt. Laetitiam auxit cumulati-  
vitque Russorum Caesaris epistola, Livadia ex urbe telegraphicò tramite ad Loubet missa,  
qua de inaugurate novo signo, ob merita Carnot  
praesidis in foedere Russorum Gallorumque  
provehendo, vehementer gratulatus est. Epistola  
Galli veluti non fractae amicitiae pignus  
optatissimum accepere, Russorumque ad Caesa-  
rem gratias agens Loubet praeses statim rescripsit.

¶

Post ferias autem Lugdunenses ultimo loco  
nuptialia referre iuvat, ut quod tristia cooperunt,  
laeta iter concludant. Ea quidem Vindobonae,  
Francisco Iosepho imperatore adstante, Robertus  
et regali domo Wurtemberg cum Maria Immacu-  
lata ex imperiali Austrorum genere celebrarunt.  
VIATOR.

## VARIA

### Metallica e zinco parietum stromata.

Metalli genus est, quod *zinco* dicunt, du-  
tile, obediens arti, patiens operis. Hoc fausto  
alite Americani cives utuntur, et latis utique  
spatio, sed ad modum folii tenuissimis telis pa-  
rietes obducunt, amanda penitus charta, non

minus quam ista picturis coloribusque distinctis,  
ubi præ ceteris iucundae sunt marmoris cuiusvis  
imitationes. Folia autem telaeque haerent muris  
caemento quadam singulari, operique idem est  
impendium temporis ac pecuniae, ceu si char-  
tarum, quae nunc in more sunt, uterentur telis.  
Chartis vero longius supereminunt, quum fere  
perpetuum durent, et aqua semel lautae novis  
picturis aptentur. At nullus aëri per parietes aditus  
in cubicula. Credo. Sed numquid per parietes  
libera nunc aëri via? Numquid impossibilia spi-  
racula in interiori ab extra? Plaudimus coepitis;  
quae enim opponuntur, pueri ex arcu mittuntur.

\*

### Hospitium canum.

Canibus londinensis nuper apparatum est  
aedificium, cuius impendia usque ad coronam  
fuere in centum septuaginta et unam super sex  
millia aurearum librarum, quas illic *sterlinas* vo-  
cant. Dux ac ducissa dynastæ Portland solemniter  
consecrarentur. Quotquot londinensis in viis  
errabundi sunt canes, congregati illuc ducentur  
et nutritur. Unicuique cubile proprium, quo  
solus et bene sit. Quae necessaria sunt victui  
degentium bestiarum et hominum hisce inser-  
vientium, quod ceterum frequens, suppeditabit  
subnotatio annua inita inter eos, qui humaniter  
tractandas bestias iure censem. Victoria regina,  
dux agminis, 15 libras aureas quotannis dandas  
decrevit. Quinimo nec vagi canes tantummodo  
illuc suscipiantur hospitio, sed et illi, quos cre-  
dendos ad tempus, dum ipsi absunt, domini  
iudicabunt, statuto tamen ac praesoluto pretio  
tum cibi, tum hospitii, tum praestandardum cu-  
rarum. Felices canes appello, praeferim si or-  
phanis plurimis palabundis comparentur!

\*

### Ioci.

*Novum moeroris signum.*

Homo ob demortuam coniugem vultu moe-  
rentissimus — magni enim ducebat sibi fore apud  
omnes, si, mortua uxore, paene exanimatus luctu  
videretur (numquid novas nuptias animo alto  
agitabat?) — homo hic, inquam, ab amico, qui  
solari dolentem aliquo modo cupiebat, in subur-  
banum invitatus est, atque ibi, venatione propo-  
sita, cum venatorum globo progreditur. Nec Diana  
inimica fuit, quippe lepores, coturnices  
hesternaeque frequentes aves. Ipse autem inco-  
lumes omnes abire patiebatur. De causa, cur id  
faceret, percontantibus: — Heul, nescitis — in-  
quit — me in luctu maximo esse, nec me venationi  
decere solatia? Ideo venationi non adesse  
optimum duxi, ne de me, qui noscunt, cogitarent  
iniqua.

P. d. V.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

- Sprechen Sie Lateinisch? Moderne Konversation in lateinischer Sprache von GEORG CAPELLANUS Dr. Phil. — Draesdae et Lipsiae, ed. C. A. Koch's Verlagsbuchhandlung, 1900.
- Thesaurus linguae Latinae editus auctoritate et consilio Academiarum quinque Germanicarum, Berolinensis, Gottingensis, Lipsiensis, Monacensis, Vindobonensis, in aedibus B. G. Teubneri (fasc. VI).
- Il libro degli Sposi Cristiani. — Edid. Romae Desclée Lefebvre et Soc., 1900.
- P. MENCACCI. Ricardo. Racconto storico contemporaneo. — Romae, apud Desclée, Lefebvre et Soc.
- G. ELPI. La Lingua universale. — Iterum edid. officina I. B. Paravia et soc., Florentiae, 1900.
- Der Familienfreund. Katholischer Wegweiser für das Jahr 1901. — St. Louis, Mo. Herold des Glaubens ed.
- G. ANTONELLI. Un Martire di Cina. — Romae edid. Officina Sallustiana, 1900.
- P. VERGILII GENINI Minutiarum libri duo. Editio tertia emendata et aucta. — Mediolani, ex officina S. Iosephi, 1901.
- De Euripidis ironia specimen scripsit DONATUS TAMILIA. — Romae, ex officina Forzani et Soc., 1900.
- Can. ALESSANDRO ALFIERI. Per monti e per valli. Novelle. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc. 1900.

**Desclée, Lefebvre & Soc.**  
ROMAE - Via S. Chiara, 20-21 - ROMAE  
*Nuperrime ediderunt opus, cui titulus:*

INSTITUTIONES  
THEOLOGIAE MORALIS

AUCTORE  
**VICTORIO COSTANTINI**

ANTISTITE URBANO  
ECCLESIAE CATHEDR. AQUIPENDIENSIS ARCHIDIACONO

Tria volumina in-8, veniunt Lib. 8.

*Nuperrime prodierunt*

CONSTITUTIONES LEONIS XIII

SUPER

IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCCC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS  
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

**THOMAS ARIZZOLI**

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiariae officialis.

Ven. lib. 1

*apud commentarii VOX URBIS Administratorem.*

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50

\*\*\*\*\*  
**T. G. Fratrum PARISI  
CANDELAARUM AD SACRA OPIFICIUM  
PRAEMII INSIGNE**

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium  
recognitionibus publi-  
ce habitis maxima re-  
lata munera.



Praecipua Templa  
cereis instruit ubique  
terrarum. In Asiam,  
Africam et urbem Con-  
stantinopolim mittit  
ingentia rerum huius-  
modi pondera, pretio  
francs 190 pro singulis  
100 Chilogramm.

Si vero ab America  
aut ab Australia petan-  
tur onera (300 Chilo-  
gramm. ad minimum),  
pretium erit francs 225  
pro 100 Chilogramm.

*LEO PP. XIII  
honores addidit*

Lateranensi Archi-  
basilicae, itemque Va-  
ticanae, quoties de Bea-  
tificatione aut de Cano-  
nizatione solempne sit.  
suppediat.

Nullo impedio iubentium  
res in proximiorem a petitibus designatum portum defertur

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur

*Civis quaerenti explicatio erit uberior.*

**VOX URBIS**  
DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS  
ROMAE - Via Alessandrina, 87

**Prospectus Subnotationis ann. MCMI**  
(Vid. in secunda operculi pagina).

**PHILIPPUS VITI EQUES**  
MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, N. 51 e 52 - ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT  
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA  
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac refectis  
in Basilica Lateranensi,  
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,  
Eudoxiana, etc.

**Ciapponi Franciscus et Soc.**

OFFICINA  
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS  
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE